DE

THYPHO ENTERICO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIX. M. MARTII A. MDCCCL.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Guilelmus Sommerlatte
VITEBERGENSIS.

OPPONENTIBUS:
C. FRITZE, jur. Stud.
C. SCHMIDT, med. Stud.
O. MUELLER, philos. Stud.

BEROLINI,
TYPIS B. SCHLESINGER.

AMICO DILECTISSIMO

CAR. LUD. AUG. STAHMANN,

NIENBURGENSI

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEMITTENDA.

Typhus est morbus ille, cujus natura in duabus rebus cernitur: primum in propria sanguinis decompositione, quam vocant dyscrasiam typhosam, deinde in quibusdam singulorum systematum mutationibus. Accedunt signa reactionis, s. febrilia. Ille sanguinis status, qui causa erat nominis „febris putrida", mutatam etiam systematis nervosi actionem sistit, quapropter morbus a recentioribus „febris nervosa" appellatus est.

Sunt igitur tria symptomatum genera: unum eorum, quae pendent ab alienata nervorum vita, alterum ad topicas affectiones referendum, tertium ad systema vasculosum pertinens.

Jam transeamus ad singula accuratius exponenda.

Quod primum sanguinis rationem attinet, ejus et quantitas et qualitas prorsus mutata est. Copia enim sanguinis tam celeriter deminuitur, ut saepe intra paucos dies macies totius corporis appareat. Eadem est causa, quod in convalescentia virium instauratio aut tarde progreditur, aut omnino non fit, sed potius ty-

phus exit in morbum illum secundarium, quem nominant „marasmum typhosum.“

Deinde compositio sanguinis est alia: albumen deminuitur, quo magis et vehementius morbus procedit, ita ut in acmes stadio dimidia tenus parte consumtum sit. Item copia corpusculorum sanguinis fit minor. Fibrina contra aut nihil aut parum decrescit, qua de causa etiam post mortem magna ejus copia in corde et arteriis coagulata invenitur. Nec minus salia anorganica minuuntur, minus phosphorica, praecipue chlorica.

Sanguis evacuatus aut non secedit in placentam et serum, aut, si secedit, placenta est mollis, facile conteritur atque sero multi inesse solent globuli dissoluti, unde color violaceus oritur. Est minus coagulabilis et multo celerius putrescit, quam sanguis normalis.

Haematinum mutatum esse, ex seri colore, ex imbibitionibus internae arteriarum tunicae, e pigmento in urina, lingua, gingiva, tunica mucosa narium deposito intelligi potest.

Restat ut commemorem, sanguinem magnopere ad transsudationes vergere, quod e statu ejus magis aquoso deducendum est.

Quibus rebus adjunguntur signa nervosa, mutationes in musculis et voluntariis et involuntariis, alienata temperatura organica.

Pertinent ad systema nervosum haec: animus non amplius rebus externis movetur, sed receptus magis suo ipsius statu occupatus est: deliria, agrypnia; hyperästhe-

sia sensuum: susurrus aurium, photophobia, phantasmata, postea anästhesia: surditas, amaurosis. Facultas statum suum cognoscendi deest, conscientia obnubilata est.

Tanta prostratio virium, ut aegrotus neque ambulare neque stare, nec sedere quidem possit, sed velut ebrius sese habeat. Facies stuporis speciem prae se fert. Irritatio spinalis: subsultus tendinum, carphologia; aut paralytica affectio: paralyses sphincterum vesicae et ani.

Musculorum systema haecce praebet signa: jam initio aegroti conqueruntur de vehemente sensorii communis affectione, de artuum gravitate, lassitudine permagna, neque corporis certum situm sustinere valent, ita ut hoc ponderis tantum leges sequatur. Post mortem musculi inveniuntur molles, faciles laceratu, livido, fusco colore praediti; etiam cor molle et marcidum.

Cutis est sicca ejusque temperatura aucta, ardoris sensum praebens, qui vocatur calor mordax et manu imposita evidenter sentiri potest.

Accedunt jam affectiones locales, in duobus praecipue systematibus apparentes: in cute et in tunica mucosa, qua re nititur divisio morbi: in typhum exanthematicum et entericum. Utrique est proprium, ut certo tempore morbi neoplasmata in systematibus allatis deponantur et certis mutationibus initis pereant; quae erat causa, quod stadia quaedam constituebantur.

His permanentibus opponendae sunt affectiones locales accidentales, quarum ad originem natura aegroti resque externae permultum valent.

Natura febris triplex esse potest: in nonnullis epidemiis erat per totum morbi decursum erethica, irritativa (erant typhi benigni, ambulatorii). In plurimis autem casibus febris in prima periodo est erethica (praecipue in typho enterico, ubi demum degeneratione gangraenescente nervosa fit reactio), interdum adeo sthenica, inflammatoria, deinceps autem semper existit nervosa, seu asthenica, torpida, etiam putrida.

Typus ejus est remittens: exacerbationes vespertinae, remissiones matutinae; nonnunquam tamen continuus in gravioribus casibus, ita ut nullo diei tempore reactionis tempestas mitigetur.

Non raro typus remittens transit in intermittentem, neque ibi modo, ubi typhus exortus est e febri intermittente, eo quidem modo, ut exacerbationes prope accedant ad typum tertianum: in diem tertium, quintum, septimum, nonum etc. incidentes.

Multo rarius duplicem exacerbationem et remissionem intra horas XXIV videmus: exacerbationes hora sexta et vespertina et matutina apparentes. Rarissime autem illud febris genus animadvertitur, quod veteres appellabant febrem pestilentialem sine febri: horis matutinis enim aut nulla aut exigua signa febrilia adsunt, at vespere, hora IX—X, perspicua sunt, tamen jam hora secunda vel tertia post mediam noctem decedunt, ita ut adsit status apyreticus.

ANATOMICA.

In primo morbi stadio nihil animadvertitur, nisi major villorum intestinalium prominentia atque hyperaemia in variis intestinorum partibus; quae postea ad quaedam loca circumscripta, quae accumulatis glandulis Peyerianis et glandulis Brunnerianis respondent, se recipit. Hic deponitur enim in tela cellulosa submucosa et in glandulis ipsis neoplasma, qua re fit, ut illae altius promineant, fungi quasi speciem prae se ferentes, cum basis intumescentiae saepius strictura circumdetur. Quae res in inferiori praecipue intestini tenuis parte inveniuntur et quidem copiosissimae sub valvula Bauhini, quam non facile transeunt. Inter has elliptica forma praeditas conspiciuntur diversae magis rotundae prominentiae, quae e typhosa glandularum solitariarum infiltratione originem ducunt. Ubique neoplasma tam firmiter membranae mucosae adhaeret, ut solvi ab illa nequeat. In stadio nervoso maceratur illud: tum primum superinjecta membranae mucosae pars gangraenescit et exfoliatur, deinde neoplasmate in escharam mutato et sublato, ulcus typhosum relinquitur. Tum aut ad cicatrisationem res tendit granulationibus, quo in casu cicatrix plerumque colore fusco, residuo pigmenti ibi depositi, insignis est; aut ad exulcerationem, quae destructa tunica musculari et serosa haemorrhagias et perforationes procreat.

Similia sunt in glandulis mesaraicis observata: quae aut ad normalem statum redeunt, aut tabescunt, quae

est causa phthisis intestinalis; nec minus in gangliis abdominis, praecipue in plexu solari et mesenterio superiori, qui valde turgescunt, colore cinereo vel livido, postea collabuntur, pallescunt, non raro tamen atrophia tentati obdurescunt cartilagini similes: altera phthisis causa. Interdum tunica mucosa oris, pharyngis, laryngis illas infiltrationes et exulcerationes ostendit.

Praeterea in aliis etiam organis mutationes nobis obveniunt: sic lien omnibus fere typho laborantibus tumefactus est, mollis, fragilis, ita ut facillime ruptura spontanea accedere possit; serius aut in integrum restituitur, aut remanet atrophia lienalis. Saepissime praeter tractum intestinalem etiam organa respirationis affecta sunt morbo: tunica mucosa rubore tincta, bronchia viscido vel spumoso, cruento muco plena, in inferiori posteriori pulmonum parte signa pneumoniae hypostaticae, splenisatio, imo hepatisatio. Cor est saepius emollitum, pallidum ejusque parietes extenuati. Cerebrum et medulla spinalis excepta hyperaemia nihil praebent, nisi majorem densitatem et tenacitatem.

DECURSUS.

In decursu typhi enterici ordo quidam observatur, septenarium spatium servans. Sunt enim tria stadia, quorum unum, stadium irritationis, primam periodum septenariam; alterum stadium nervosum, secundam et tertiam; tertium s. criticum quartam amplectitur. Inter quae et tunicae mucosae degenerationes nexum existere, negari nequit: primum enim stadium respondet statui

congestivo et eruptioni exanthematis, secundum ulcerationi ejus, tertium cicatrisationi. Attamen persaepe morbus hos fines transgreditur.

I. Stadium prodromorum

incerti spatii, vel per hebdomadas nonnullas vel per paucos dies morbi eruptioni praecedere solet. Signa ejus sunt quae sequuntur: depressio animi, facies moeroris speciem prae se ferens, aegrotus de cephalaea, de magna anxietate, de vagis artuum doloribus, de somno inquieto, phantasmatibus interrupto, de anorexia queritur; interdum jam nunc nausea, etiam vomitus et diarrhoea adsunt, plerumque tamen alvus obstructa.

Hoc stadium deesse potest.

II. Stadium irritationis.

Initium hujus stadii, id est morbi ipsius, inde a primo frigoris impetu, aestu perpetuo stipato, numerandum est.

Sunt tria symptomatum genera:

a. Symptomata tunicae mucosae: lingua magis vel minus obtecta, ut in gastrica affectione, margines et apex ejus interdum colore rubro tincti; sapor alienatus, anorexia imo nausea et vomitus; modica abdominis intumescentia et sensibilitas; contra de dolore regionis epigastricae, cujus sedes plexus solaris affectioni respondet, aegroti queruntur; excretio alvi plerumque retardata.

b. Symptomata nervosa: ingens prostratio virium, lassitudo, defatigatio, vertigo, oppressio capitis, titubatio: aegrotus erectus sedere in lecto nequit; ve-

hemens cephalaea, modo frontalis, modo occipitalis, modo per totum caput extensa; facies stupida; signa congestionis, quam hodie appellare hyperaemiam libet; injectio oculorum, facies rubefacta, ejus et capitis temperatura adaucta; hyperaesthesia sensuum: photophobia, hallucinationes: susurrus aurium; somnus fere semper inquietus, aut agrypnia perfecta.

c. Symptomata febrilia: incipit morbus vehemente horrore, quem statim calor continuus sequitur rarius horripilationibus per complures dies repetitis perpetuus aestus relinquitur. Temperatura cutis aucta, calor mordax sic dictus; transpiratio cutanea aut nulla aut partialis et praeteriens; urina fusco rubore tincta, ictericae similis, reactione acida. Pulsus mollis, frequens 90—100 ictuum; exacerbationes vespertinae, remissiones matutinae, at saepenumero discrimen inter utrasque aut nullum aut tam exiguum, ut febris magis typo continenti appropinquetur.

Exacerbatio diei quarti fortior est, quam antecedentes et significat eruptionem exanthematis intestinalis. Symptomata supra jam descripta tunc graviora existunt.

Abdomen tensum, in regione coeliaca dolens: intensitas doloris pendet ab ambitu eruptionis, ab irritatione visceralis peritonaei laminae, a degeneratione glandularum mesaraicarum, a situ affectae tubi intestinalis partis: si enim integris partibus obtecta est, fortiore modo pressione dolores provocantur; denique a sensorii statu: sensorio obfuscato impressio manus non

percipitur. Saepissime tunc bronchitis accedit: tussis, rhonchi sicci, sonori, sibilantes et humidi, sputa viscida, spumosa.

Non raro symptomata cerebralia occurrunt: praeter ea, quae jam supra commemoravimus, etiam deliria modo vespertina, modo nocturna, inquietus igitur somnus aut nullus.

Denique vis etiam reactionis crescit: pulsus magis acceleratus; remissio penitus fere desideratur.

Septimo die incipit secunda periodus, inter quam et primam nonnunquam significatio critica interjecta est: epistaxis, secretio cutanea, urina turbida vel sedimentum demittens, perspicua febris remissio. Brevi vero tempore praetermisso redit vehementissima et febris et omnium symptomatum exacerbatio, quae aperit

III. Stadium nervosum,

quod tamen jam ante septimum diem prodire potest, nam initium ejus pertinet ad exfoliationem degenerationis.

Symptomata tunicae mucosae: tympanites ad tantum gradum evehi potest, ut diaphragma in cavum thoracis adscendens respirationem maximopere impediat. Auditur strepitus sic dictus ileocoecalis (quo utimur ut signo pathognomonico), praecipue si manus regioni hypogastricae et iliacae dextrae imprimitur. Aucta regionis coecalis sensibilitas permanet.

Excernuntur illae faeces, quae nominantur typhosae, plerumque ter vel quater quotidie. Initio excreta interdum faeces duras, figuratas continent, ceterum autem vitro exceptae statim in duas partes separantur.

Pars inferior, quae fundum vitri obtegit, constat e residuis exfoliatae tunicae mucosae et neoplasmatis, praeterea ex magna crystallorum ad systema rhomboidale spectantium copia, quae continent salia phosphorica cum Ammonio conjuncta et ab iis in aliis morbis inventis multitudine et magnitudine valde discrepant. Pars superior est fluida, aquosa, colore subfusco, vel nigrescente, cruoris dissoluti signo. Excreta odorem foetidum exhalant.

Lingua magis magisque siccescit, splendido rubore interdum conspicua, denique corrugatur sicut lignum aridum et quasi cuneiformis inter dentes retracta conspicitur. Lingua, dentes, gingivae, labia et nares fuliginoso integumento, e siccato oris et narium muco atque exsudato cruore vel residuo haemorrhagiae composito, obducuntur.

Auscultatio bronchiis gelatinosa, viscida sputa inesse docet, quae debilitatis causa aut propter perceptionis inopiam non eduntur, ita ut jam procul rhonchi mucosi audiantur; sputa si ejiciuntur, sunt tenacia, sanguinolenta.

S y m p t o m a t a   n e r v o s a, a quibus hoc stadium nomen tulit, longe praevalent: Collapsus virium altissimum gradum consequitur: aegrotus non valet se sustentare vel omnino certum corporis situm servare, sed coactus est ponderis leges sequi. Eadem est causa, quod vultui apathiae, stuporis species inscripta est; artus trepidant, oculi splendore privati solvuntur, lingua aegre protendi potest neque protensa diu servari. Ae-

grotus non amplius appetit potum, quamvis lingua instar aridi ligni exsiccata est; saepe queritur deglutitionis impedimenta, dysphagiam. In susurrus aurium locum succedit surditas imperfecta et oculus, prius photophobia affectus, luce non amplius irritatur. Incidit aegrotus in somnolentiam, soporem, impos sui ipsius, nam excitatus e somno quaerenti: quomodo sese habeat, „bene" respondet. Animi functiones magis vel minus perturbatae sunt et impeditae: facultas res externas percipiendi saepe penitus deleta; sic ischuria non e causa paralytica, sed ex oblivione urinam mittendi oritur, quia incitamentum urinae animo non percipitur. Persaepe deliriis agitatur, e quibus per breve tantum tempus clamando expergefieri potest, postea statim recidit in stuporem, qui tandem in coma transit. Deliria initio lucidis intervallis intercipiuntur, tantum vespere vel noctu irrumpunt, postea autem permanent die noctuque aut blanda, mussitantia, aut furibunda (typhomania).

Loquela est imperfecta, imperspicua, partim propter inhabilem linguae motum, partim propter conscientiae obfuscationem.

S y m p t o m a t a f e b r i l i a insigniuntur natura torpida s. nervosa: pulsus celer, frequentissimus, 100—120 ictuum, parvus, debilis, filiformis, facilis compressu, cordis ictus sine impulsu. Cutis caret secretione, est pergameno similis; temperatura aucta, sed inaequalis: extremitates enim frigidae, truncus vero calidus, ardens.

Urina eadem, quam prius: turbida, colore fusco, cerevisiae fuscae similis.

Livor, qui in facie, in membranis mucosis apparet, ad progredientem sanguinis decompositionem referendus est.

Hoc stadium normali morbi decursu porrigitur usque ad hebdomadem quartam, tunc transit in

IV. Stadium criticum.

Vestigia critica jam diebus, quos vocant, indicibus inveniuntur: die enim decimo quarto et decimo septimo, imo die septimo, plerumque tamen die primo et vicesimo phaenomena critica prodire incipiunt.

Symptomata tunicae mucosae; abdomen collabitur, mollescit, dolore caret, diarrhoea remittit, cujus in locum excretiones flavae, fuscae, minus foetidae, vel etiam obstructio alvi succedunt. Fuliginosum linguae, dentium, labiorum et narium tegumentum solvitur; lingua fit humida atque pristinam magnitudinem recipit, nec minus nares iterum secernunt, interdum epistaxis critica. In membrana mucosa respiratoria epithelium exfoliari videtur: sputa existunt critica, id est globosa, purulenta, facile eduntur.

Febris decrescit: pulsus frequentia minor fit, major contra ejus vis. Turgor cutaneus redit, temperatura aequalis, non aucta, transspiratio cutis satis copiosa, simul cum desquamatione, si exanthema aderat. Nec appetitus deest.

Maximi tamen momenti sunt mutationes in systemate nervoso: sopor vel deliria cedunt quieto

somno, topicae cerebri crisi, ex quo aegrotus sui conscius, et bene se habens expergiscitur. Vis motoria sensim redit: excretiones retineri possunt, phaenomena paralytica evanescunt et aegrotus iterum quemcunque corporis situm sustinere valet.

Urina demittit sedimentum, neque ex urea, neque salibus uricis constans, sed e phosphoricis et praecipue ex Ammonio carbonico, unde fit, ut urina, initio neutralis, vix emissa ostendat reactionem kalinam, quia paucis horis elapsis decomponitur. Amittit urina colorem fuscum.

Hoc in stadio exstinguitur dyscrasia typhosa.

Sequitur jam

V. Exitus morbi

qui est triplex:

a. Exitus in sanitatem sistit stadium convalescentiae, cujus spatium incertum neque minus initium; primum enim excretiones criticae per longum tempus perdurare possunt, praesertim transpiratio cutanea, plerumque tamen per hebdomadem modo, tum convalescentia pendet ab ulcerum statu, a cicatrisatione eorum.

Febris prorsus fere abest, nisi exigua intrat vespertina exacerbatio; aucta cutis temperatura per tempus aliquod permanet, pulsus quamvis ad normalem numerum redactus minimo aegroti motu valde acceleratur.

Nec minus diarrhoea interdum perstat. Urina pallescit, anaemicae similis, aquosa. Epidermis pedum ma-

numque desquamatur, saepe etiam crines defluunt et ungues excidunt. Appetitus magna cum vehementia redit.

Minus tamen subito interire solet morbus (crisis) quam pedetentim, quod nomine „lysis" significamus.

b. Exitus in mortem: mors in quoque stadio et morbo et vitae finem imponere potest. Causae ejus sunt quae sequuntur:

Consumtio virium: meteorismus et diarrhoea crescunt, excretiones fiunt foetidae, cruentae; collapsus ad summum fastigium adscendit: pulsus frequentissimus, tremulus, intermittens; respiratio accelerata, stertorosa, irregularis; omnia vestigia conscientiae sunt exstincta; tenax sudor erumpit, extremitates frigescunt; subsultus tendinum et convulsiones musculorum faciei existunt vehementiores, facies hippocratica; coma, singultus, convulsiones finem faciunt. Plerumque inter diem decimum septimum et vicesimum octavum aegroti interire solent.

Haemorrhagia intestinalis: ulcera latius serpentia tunicam muscularem destruunt itaque lethalem sanguinis efluxum provocant.

Gangraena et sphacelus, omnibus remediis resistentes in latitudinem et altitudinem extenduntur.

Perforatio tubi intestinalis: intestina aut sponte aut causis externis perforantur: ab ulceribus enim magna aëris copia exhalatur, qua intestina ulceratione jam extenuata ita panduntur, ut ruptura existat spontanea, aut minima occasione, e. gr. incauta abdominis exploratione, vehemente in faecibus exonerandis

pressione, ictu abdomini applicato, efficiatur. Quum peritonitis exsudativa sequitur, cujus exitus semper fere letalis est: abdomen valde tumidum, aegrotus vehementissimis doloribus cruciatus, frigus marmoreum, nausea, ructus, singultus, vomituritiones, vomitus aeruginosus, obstructio alvi, pulsus innumerabilis, debilis, filiformis, vires magis magisque collapsae, facies hippocratica: ita aegroti diem supremum obeunt, plerumque horis XXIV praetermissis.

Pneumonia typhosa s. hypostatica: bronchitis vel catarrhus bronchialis transire potest in affectionem parenchymatis pulmonum, in pneumoniam typhosam, quae hyperaemia seu infiltratione subitanea, splenisatione, vel hepatisatione suffocationem efficere potest et eo periculosior est, quoniam sensorio obfuscato subjectiva symptomata plerumque desunt, ut dolor, dyspnoea; tussis saepe exigua est, sputa aut nulla aut parca, cruenta; respiratio accelerata, superficialis.

Si aegroti jam in primis stadiis moriuntur, causa est plerumque hyperaemia cerebri vel exsudatio subitanea in cerebro aut medulla spinali, stipata phaenomenis paralyticis.

Praeterea aegroti interfici possunt permagna affectionis intestinalis vehementia, diarrhoea colliquativa, febri hectica ulcerationem intestinalem sequente.

Denique cystitis typhosa: ex causa paralytica oritur retentio urinae, qua vesica extenditur; huc accedit cita urinae decompositio, causamque praebet cystitidis, quae facillime exit in destructionem gangraenosam.

c. *Exitus in morbos secundarios.*

Animi perturbationes non raro typho relinquuntur, praecipue memoria debilitata: aut omnium praeteritorum oblivio aegrotum capit, aut modo rerum novissimarum, interdum remanet hypochondria, melancholia, dementia.

Praeterea *sensuum anästhesia*: surditas, amaurosis.

Paralysis, spasmi, neuralgiae.

Deinde *pseudocrises sic dictae*:

1. Decubitus inter gravissima aegroti incommoda numerandus est; oritur praecipue in stadio critico, etiam postea; et quidem in iis, quibus corpus incumbit, partibus, sed etiam in aliis, ut in pedis digitis, in naso etc.

2. Parotitis adgreditur plerumque utrumque faciei latus: dolores et susurrus aurium, surditas, magna glandularum intumescentia, conjuncta cum cutis superinjectae livore. Nunc rubor et tumor aut subito evanescunt eorumque locum sopor et paralysis cerebri occupant, aut inflammatio in suppurationem transiens profusa secretione, haemorrhagiis, ingenteque viciniae destructione necare potest.

3. *Furunculi et carbunculi*: in stadio critico magis minusve numerosi apparent, neque minus quam malum antecedens copiosa suppuratione vires aegroti conficere valent.

Erythema erysipelaceum in diversis partibus erumpere potest, cujus collapsus subitaneus deliriis et paralysi cerebrali vitam in gravissimum periculum vocat.

4. Infiltrationes et exulcerationes laryngis, glottidis (laryngotyphus) ad malignas affectiones pertinent, facillime enim aegroti laryngophthisi, vel oedemate glottidis, vel symptomatibus anginae membranaceae intereunt.

Exulceratio pharyngis (pharyngotyphus) est quidem rarior, sed saepe cum illa conjuncta. Cujus et anginae gangraenosae symptomata sunt eadem: aut sanatur suppuratione benigna, aut transit in gangraenosam vicinarum partium destructionem.

5. Eodem modo interdum partes sexuales mulierum afficiuntur: gangraena incipiens a pudendi labiis, livido colore tinctis, aut ad suppurationem et ad granulationes vergit, aut ad exulcerationem late diffusam.

6. Otitis non raro oritur in convalescentia: vehementes aurium dolores, susurrus; formatur aut in media aut in interna auris parte abscessus, qui, si exitus est faustus, foras aperitur, aut os temporale perforans in cavum cranii effunditur et mortem subitaneam affert.

7. Marasmus typhosus non solum timendus est, si magna tunicae mucosae pars villis privata est: resorptio chymi imperfecta, nutritio igitur impedita; sed etiam e glandularum mesaraicarum et plexuum abdominalium labe exoriri potest.

DIAGNOSIS.

Typhus non facile cum alio morbo confundi potest, nisi initio, ubi saepe demum repetitis observationibus ad rem cognoscendam pervenimus.

Enteritis a typho differt sequentibus:

Diarrhoea initio morbi frequentior et cum majori dolore conjuncta; deest magna prostratio virium, stupor, deliria, secessus involuntarii, exanthema, tegmentum fuliginosum linguae, labiorum, narium etc.; rarissime meteorismus et decubitus adsunt. Enteritidis est certa causa, typhi origo plerumque ignota.

Eadem fere sunt discrimina inter Peritonitidem et Typhum, quibus etiam haec addenda sunt: vomitus et obstructio alvi; exsudatio intra cavum abdominis percussionis ope cognoscitur.

Inter Phlebitidem et Typhum cum febris natura nervosa magna similitudo ponitur, sed illa semper fere venaesectione, operatione, vel partu exoriri solet, horroribus frequenter recidivis et abscessibus metastaticis stipata.

In Encephalitide deliria jam initio adsunt; desideratur stadium prodromorum, diarrhoea, meteorismus, fuliginosum linguae et labiorum integumentum, febris torpida.

Exstat forma Tuberculosis acutae, iisdem signis nervosis conspicua, quae in febri nervosa versatili (typhus cum irritationis signis) inveniuntur. Simul autem haec fere praebet discrimina: tussis sicca jam per aliquod tempus antecedit, praecipue mane; primum pectoris symptomata apparent, affectio intestinalis est consecutiva, secundaria; febris similis est hecticae; perspicua et exacerbatio vespertina et remissio matutina, calor mordax in plantis et palmis, circumscriptus malae rubor (rosa phtisica), urina copioso pigmento praedita,

pulsus frequens, praeterea non solum signa catarrhi bronchialis et bronchitidis animadvertuntur, sed etiam sonus obtusus in regione infraclaviculari, respiratio rauca.

In decrepitis inflammationes internae non raro febrem nervosam seu asthenicam adsciscunt; diagnosis jam respecta aetate satis constituitur.

PROGNOSIS.

Progonsis est omnino dubia, imo infausta cum tertia fere pars typho laborantium morte auferatur.

Eventus pendet a natura et epidemiae et aegroti: potatores hominesque, quibus dyscrasia vel cachexia inest, paene semper succumbunt morbo; ab aetate: juvenilis et virilis aetas plus sustinere valent, quam senilis.

Praeterea autem haecce symptomata respicienda sunt, quae vero antequam perscrutamur, illud P. Frankii: unum signum infaustum majori esse pretio quam multa fausta, in memoriam revocandum est.

Signa fausta sunt:

Aequalis morbi decursus, certus modus omnium symptomatum.

Remissiones perspicuae.

Signa critica simul cum decremento symptomatum gravissimorum.

Deficiens sudor colliquativus in primo stadio.

Attamen regulari etiam decursu spes saepissime nos fallit, in quoque enim stadio, adeo in convales-

centia mors contra omnium opinionem irruere potest: e. gr. perforatione intestinali, profusis haemorrhagiis, pulmonum splenisatione. Caret igitur prognosis certa basi.

Inter symptomata infausta memoranda sunt:

Profusa diarrhoea, haemorrhagia intestinalis.

Secessus involuntarii.

Altus febris gradus: temperatura inaequalis, signa decompositionis: ut vesiculae aëre plenae, exsudationes sanguinis (vibices, ecchymoses).

Febris transitus in putridam.

Lingua arida, rigida, corrugata, fusco muco obducta.

Magna nervorum depressio; prostratio virium; irrtatio medullae spinalis: subsultus tendinum, crocidismus.

Deliria continua, sive sint furibunda (typhomania), sive blanda, mussitantia; deliria jam inde ab initio morbi apparentia.

Retardatio pulsus sine decremento reliquorum symptomatum; pulsus inaequalis debilis.

Sopor, coma.

Omnes denique complicationes: laryngotyphus: bronchitis, pneumonia hypostatica; Sphacelus per magnam partem extensus.

Prognosis morborum secundariorum plerumque est mala: uti enterophthisis, perforationis, gangraenae pulmonum, quae interdum pneumoniam sequitur.

AETIOLOGIA.

Exstat duplex morbi origo: spontanea et contagiosa.

Genesis spontanea.

1. Causae praedisponentes s. internae sunt hae:

Aetas: quamvis nulli et aetati et sexui parcit, tamen frequentissimus est morbus a duodevicesimo anno aetatis usque ad tricesimum quintum; senes et infantes immunitate quadam fruuntur.

Mutatio quaedam sanguinis typhosae similis, sive sit medicamentis provocata: Mercurio, Jodo, Bromo, Chloro, Belladonna, Alcohole, Aqua Laurocerasi; sive morbis corpori inhaerentibus, ut syphilide inveterata, chlorosi, scorbuto etc.

Substantiae, quae ventriculo vel pulmonibus receptae dycrasiam typhosam gignunt:

Noxia alimenta; vegetabilia vel anmialia, putredine correpta, praecipue autem aqua substantiis putridis inquinata.

Prava aëris conditio: primum propria aëris constitutio: praevalent venti aequatoriales: australis et occidentalis; magna aquae copia in aëre suspensa est, simul temperatura aucta: aestas igitur humida; tum aër substantiis putridis et animalibus et vegetabilibus contaminatus.

2. Causae occasionales: sub conditionibus allatis minima occasio typhum elicere valet, refrigeratio, cutis madefacta, aquae frigidae potus, indigestio.

Genesis contagiosa.

Typhus sponte exortus producit seminium, sed certa aëris constitutio (nervosa) existat necesse est.

Deinde exoritur typhus ex alio contagio, si

multi aegroti in angustum locum, cujus aër non satis renovatur, conferti sunt.

Contagium videtur secretionibus inhaerere.

Eo facilius ab uno ad alterum transfertur, quo magis deprimentes animi affectiones, permagni et corporis et animi labores, excessus in baccho et venere, indigestio, transpiratio cutis suppressa, praecesserunt.

Natura ipsa contagii adhuc cognitionem nostram fugit.

CURATIO.

I. Curatio causalis dividitur in prophylacticam et abortivam.

a. Cura prophylactica:

In Genesi spontanea: causas internas parum impugnare licet, cum autem praedispositio noxiis alimentis et medicamentis augeatur, ad haec potissimum animum attendamus necesse est.

Si typhus grassatur, causas occasionales prohibere conamur, ut vestimenti inopiam et alimentorum; refrigeratio, mador, indigestio sunt vitanda: deinde etiam exigui morbi cum maxima diligentia tractandi sunt, ne in typhum degenerent.

In genesi contagiosa: illis remediis contra originem spontaneam laudatis et desinfectione aëris omniumque rerum, quibus contagium inhaerere solet, ejus formatio optime impeditur. Contagio vero exorto neque jejunus invisas aegrotos neque prius, quam cubiculum eorum aërem recentem exceperit itaque vapores per noctem accumulati expulsi sint; cave, ne lodicem subito

tollas, neque immediatis aegroti exhalationibus te expo-nas; inter visitationem mucus et saliva haud devoretur, sed exspuatur, postea autem manus faciesque chlori solutione aut aceto diluto laventur, oris et narium cavitates aqua frigida eluantur: potissimum enim muco et salivae contagium inhaeret; ante omnia autem animum firmes necesse est ac persuasum habeas, non posse te infici. Praeterea effluvia aegrotorum aut statim removenda aut, si fieri hoc nequit, saltem desinficienda sunt chloro.

b. Cura abortiva.

Typhus aut sponte exortus aut translatus reprimi potest, nisi jam nimis progressus est, quibusdam remediis, tamen sub certis tantum conditionibus.

Morbo primam periodum non transgresso; diarrhoea deficiente.

Aegroto intacto vi medicamentorum, imprimis emetici et purgantis remedii.

Necesse igitur est neoplasma nondum depoistum sit, aut saltem non detrusum, nam methodi abortivae est, aut infiltrationem prohibere, aut resorptionem depositae materiae efficere. Exstant enim casus, ubi illam sponte resorptam esse anatomia pathologica demonstrat, quapropter remedia abortiva etiam in secunda periodo, deficiente diarrhoea, exfoliationis signo, adhiberi possunt. Eventus est quidem dubius hoc in casu, sed remedium anceps melius est nullo; praeterea autem, etiamsi morbus non intercipitur, decursum ejus multo mitiorem

reddi constat; incommoda vero aut nulla sunt, aut facile amovenda.

Emeticum, prius usitatum, prorsus rejiciendum est, quum, ut Schoenlein jam docuit, multo plus noceat quam prosit, exceptis duobus casibus: primum ubi typhus exortus est ex indigestione, ex usu noxii alimenti, tum in typho ex animi affectibus, praecipue ex iis, qui propriam hepatis irritationem sistunt, ex causa igitur biliosa.

Remedium alterum est Calomelas, quod tali dosi porrigi debet, ut excretiones, quas vocant, hydrargyrosae appareant, quae sunt insignes consistentia molli, fluida, colore viridi, adeo nigrescente, qui e decompositione hydrargyri ejusque conjunctione cum sulphure oritur, denique odore foetido. Praescribenda est haec fere formula cum remedio absorbente.

Rcp. Colomelan.
Magn. ust. aa gr. V
Sacch. alb. gr. X
Mf. pulv. d. tal. dos. No. jjj

Quaternis horis talis dosis porrigatur, donec illae faeces exonerentur; plerumque duae vel tres doses sufficiunt. Si tum alvus nondum purgata est, timendum est, ne secundaria hydrargyri vis oriatur, salivatio, qua ex causa nonnullae ol. Ricini doses addi debent. Faecibus propriis excretis, exspectandi sunt reliqui medicamenti effectus, qui saepe jam post horas XXIV convalescentiam ineuntem ostendunt, omnia symptomata suspecta sunt ablata, ita ut nihil aliud necessarium sit,

nisi aequalis temperatura strenuaque diaeta; ibique etiam, ubi morbus non exstinctus est, omnes affectiones magnopere temperantur totusque morbus multo lenior decurrit. Diarrhoeae usu emeticorum vel purgantium (plerumque sal. med.: natr. sulph.) provocatae ante hydrargyri usum occurrendum est, exempli causa solutione gummosa cum nonnullis tinct. opii simpl. guttis.

II. INDICATIO MORBI.

Morbus altitudinem quandam adeptus, irritus reddi nequit: tum progrediendum est ad indicationem morbi. Certa medendi ratio non existit, non eodem modo omnes casus sunt tractandi, sed semper temporis ratio habenda est in curando typho, cum diversa stadia diversam curam exigant! remedia specifica non dantur.

Primum igitur chronologia morbi constituenda est, quod triplici modo fieri potest.

1. Initium morbi inde a primo frigoris impetu, quem continuus secutus est aestus, numeratur.

2. Stadia singula inter sese differunt propriis symptomatibus.

3. Denique dies indices: ut septimus, decimus septimus etc. computationi inserviunt.

Indicatio morbi haec respici jubet:

a. Typhosam sanguinis dyscrasiam,

b. Affectiones topicas (indicatio localis),

c. Febris naturam et vehementiam,

d. Symptomata periculosa (indicatio symptomatica).

A. Dyscrasia typhosa.

Ubi dyscrasia exigua est, diaetetica cura suffi-

cit. In reliquis casibus indicata sunt acida et quidem mitiora vegetabilia: acidum aceticum, citricum; etiam potus forma: aqua saccharata cum acido citrico, acetico; praeterae primis quattuordecim diebus magis refrigerans medendi ratio: temperatura X—XVI graduum R. potus frigidus, acidulus et diaeta antiphlogistica; in stadio critico potio magis calefaciens, vestimenta apta, mitiora diaphoretica; Inf. rad. Valerian., flor. Arnic., flor. Sambuc. Exceptis his remediis leviores casus naturae committi possunt. In gravioribus contra a vegetabilibus transire licet primum ad chlorum, praesertim forma aquae oxymuriaticae, ℥j—jj per diem, deinde ad acida mineralia: acidum muriaticum, sulphuricum, acidum Halleri, minus phosphoricum; non solum ad internum sed etiam ad externum usum, praecipue ubi morbus vergit ad characterem putridum: lotiones cum acido diluto, calcaria chlorata magnam utilitatem afferunt.

Cortice Chinae, non salibus chininicis, ut a nonnullis propositum est, nullo modo in typho curando carere possumus, sed opportunum adhibendi tempus demum sub finem secundae et in tertiam periodum incidit, ubi signa exulcerationis intestinalis existunt vehementiora: febris hectica, collapsus virium, magna infirmitas, pulsus debilis, parvus. Optimum est Infusum vel Decoctum corticis conjunctum cum acido aliquo, irritatione autem intestinali et pulmonum perseverante Emulsio chinata secundum P. Frank anteponenda est.

Rep. Inf. Cort. Chin. (ex ℥β) ℥jv
Ol. Amygdl. dulc. ℥β
Gumm. mim. ʒjj
Sacch. alb. ℥β
MDS. bihorio cochlear majus sumendum.

Lingua sicca et obtecta neutiquam corticis usum vetat. Etiam Salia martiata tantum in provectioribus stadiis apta sunt; dyscrasia vergente ad haemorrhagias, non ibi solum, ubi jam faecum colore haemorrhagia instans praesagitur, sed etiam magna sanguinis copia jam amissa est, ferro muriatico solo vita servari potest, reliqua adstringentia sunt frustranea. Huc accedit, quod etiam sanguinem et inprimis globulos diminutos compensare valent ferri praeparata, conjuncta cum idonea diaeta.

B. Indicatio localis.

1. Cerebri affectiones

in primo stadio plerumque hyperaemia cerebri ejusque membranarum nituntur, quae superanda est primum detractione sanguinis locali (per hirudines pone aures processui mastoideo applicatas, ubi per emissaria Santorini celerrime cerebro sanguis detrahitur), tamen in plethoricis tantum hominibus intra primam et secundam periodum, et ubi omnia vehementes congestiones ad caput significant: temperatura capitis valde aucta; ubi autem facies pallida, temperatura non aucta, vasa colli et albugineae sanguine non tument, depletio sanguinis damno est, etiamsi delirant aegroti. Vis illius adjuvatur, imo sarcitur balneis praecipitantibus et super-

fusionibus frigidis, inprimis in deliriis furibundis; in typhomania sic dicta praeferenda sunt fomentationibus et lotionibus ex glacie et aqua gelida, quia illorum effectus major est. In adhibendis frigidis et balneis praecipitantibus et superfusionibus accurate, quomodo aeger sese habeat, observandum est: quam diu enim salutaria ei sunt, et tolerat et ea postulat, simulac autem opportuum tempus praeteriit, fomentationes non diutius perferuntur, aegroti non amplius recreantur, sed taedii speciem vultus prae se fert.

Si in posteriori morbi decursu facies collabitur (facies hippocratica), praecipue in stadio tertio hyperaemiae signa prorsus desunt, contra deliria, sopor, pulsus parvus frequens, filiformis jam res ad exsudationem serosam intra cerebrum venit et tempus superfusiones frigidas adhibendi praeterlapsum est: nunc potius capiti antea tonso imponuntur fomentationes tepidae, aromaticae cum Spirituosis conjunctae: Inf. flor. Arnicae cum Spirit. lavandulae, cum liq. Kal. ammoniac. etc., infrictiones remediorum excitantium: solutionis Ol. Terebinthinae et Ol. Juniperi e Spirit. Formicar. seu Serpylli; deinde fortia Sinapismata in humeris et suris, adeo Vesicantia, ubi desunt signa putredinis.

2. Affectio medullae spinalis indicatur involuntariis musculorum superiorum extremitatum motibus: subsultu tendinum, carphologia, quos prius sentire potes, quam videre, praesertim in antibrachio: hic sola spes in quibusdam animalibus substantiis ponenda est: in Castoreo, Moscho, sed majore dosi, ad gr. jjj—jv,

plerumque cum China conjungendo, cum symptomata illa in stadium nervosum incidant, ubi Chinae etiam usus locum habet; Tinct. Castor. gtt. x ad enema cum parva Inf. rad. Valerian. copia, ne illud statim emittatur.

Contra si affectiones paralyticae nobis occurrunt: praecipue vesicae urinariae et intestini recti, refugiendum est ad nucem vomicam, ad salia strychninica in solutione vel in enemate; ad infrictiones Tinct. nuc. vomicae cum remediis spirituosis in spina dorsi.

3. Respirationis apparatus: contra bronchitidem potus mucilaginosus sufficit, praeterea autem pluries per diem pectus stethoscopio perscrutari debes, an illa transeat in pneumoniam hypostaticam: quo facto sanguinis detractio necessaria est per cucurbitas loco affecto applicatas, postea emplastrum vesicans.

Si bronchia muco nimis impleta sunt, quod ex rhonchis humidis intelligi potest, et expectoratio impedita innervatione deficiente: haec Liquore Ammon. anisat., Ammon. muriatic. cum parva Tart. stibiat. copia conjuncto, Benzoë adjuvanda est; externe fortia cutis incitamenta, exutoria ad musculos respiratorios instigandos adhibenda sunt, praesertim in posteriore thoracis parte prope nervos intercostales: infrictiones Olei Terebinth., Empl. vesicant., Sinapismata.

4. Affectiones tractus intestinalis: Ab initio morbi usque ad diem quartum, ubi tantum irritationis signa adesse solent, nihil necessarium est, nisi potus frigidus, cui eruptione facta mucilaginosa addun-

ur. Si abdomen non tensum, inflatum est, alvus non saepius quam ter quaterve quotidie purgatur atque dolor in regione coeca tantum exiguus, res singulari cura non eget. Detractio sanguinis et quidem per hirudines VIII—XII tummodo instituenda est, si serosum intestini integumentum inflammatum est, quod cognoscitur e magna regionis coecae intumescentia et resistentia, e sensibilitate tam aucta, ut ne minima quidem pressio sustineatur, adeo sensorio obnubilato.

Neoplasmate soluto atque relicta ulceratione, interdum secretio intestinalis copiosior existit, quam par est: quotidie X—XII excretiones, quas celerrima aegroti macies sequitur. Haec colliquatio remediis per rectum ingerendis impugnanda est: enemate ex Amylo cum Tinct. Opii simpl. vel plumb. acet. (gr. jv—v) vel Zinc. sulphur. vel optime Argent. nitric. fuso (gr. jß—jj) parato.

Nec minus obstructio diutius quam per horas XXIV vel summum XLVIII toleranda est, quia excrementis retentis celerique eorum putredine tunica mucosa denuo irritatur. Sunt enim casus, ubi diarrhoea prorsus deest, quos nominare typhum siccum nonnullis placet. Cui indicationi optime satisfit per enemata ex aqua frigida aut sola aut cum parva Ol. Ricini copia, eo modo, ut duae vel tres excretiones quotidie eliciantur.

In Tympanite, quo facile mors suffocativa et perforatio intestinorum efficitur, et ad fomentationes

abdomini imponendas et ad enemata ex aqua frigida confugimus.

C. Indicatio symptomatica.

1. Quod decubitum attinet, facilius est eum prohibere, quam semel ortum sanare, quare cura prophylactica est res omnium maxima, quae posita est in cubili bene administrato, in situ saepius mutato, locis ac decubitum praecipue opportunis diligenter lotis cum Spirit. camph. et remediis adstringentibus, partibus excretionibus contaminatis accurate purgatis atque contra illarum acrem et corrosivam vim defensis, quod aptissime fit inuctionibus e sevo cervino. Simulac autem sanguis in telam cellulosam subcutaneam transsudatus est, sphacelus et ulceratio vitari nequeunt, nam exigua tantum extravasatio fomentationibus ex Inf. flor. Arnic. cum Aceto paratis interdum resorbetur. Gangraena autem exorta quominus latius progrediatur, fomentationes ex aqua chlorata vel parva acidorum copia impediri debet, tum exfoliatio fomentationibus ex Inf. flor. Chamom. cum Aceto paratis et postea cum Decoct. cort. chin. adjuvari.

2. Parotitis, jam inde ab initio inflammationis hirudines applicandae sunt et postea etiam, si inflammatio jam altum gradum adepta est, sanguinis fluxus aliquod per tempus fomentis tepidis servandus est: simul adhibentur inunctiones ungt. hydrarg. ciner. adeo illinitiones Tinct. Jodi; postea fomentationes resolventes ex Inf. flor. Arnic. vel Herb. digital. cum Kalio jodat. ad resorptionem exsudati in tela cellulosa sublevandam.

Resorptio si non procedit, tamen suppuratio celerior existit atque benignior, quam, ut a multis propositum et exercitum est, adhibitis remediis excitantibus quorum effectus saepe fere infaustus est. Abscessus incisione celeriter vacuefaciendus est, ne partes prope sitae pure desidente destruantur.

3. Haemorrhagiae, quae praecipue typhum putridum comitantur, in gravioribus casibus jam in prima periodo, plerumque tamen serius existunt maximaque cum rapiditate aegroti vires exhauriunt, omni modo cohibendae sunt. Non est confundenda cum illis haemorrhagia critica, exempli causa epistaxis, quae naturae committatur: huic antecedunt vehementes ad caput congestiones, quae sanguine defluente remittunt; est magis stillicidium sanguinis quam fluxus, sanguis rubro colore, haemorrhagia tantum in dies criticos incidit, simul cum aliis signis criticis. Maligna haemorrhagia contra apparet, etiamsi hyperaemia capitis deest ac potius facies pallida exstat, jactura sanguinis est permagna, sanguis colore fusco, pulsus existit frequentior et minor, introitus haemorrhagiae est incertus neque aliis signis stipatus.

Epistaxis maligna poscit praeter curam contra dyscrasiam instituendam etiam remedia localia. Necessaria sunt quae sequuntur: erectus aegroti situs, recens aër, vesica glacie plena supra nasum atque os frontis fomentationes ex aqua gelida, injectiones in nares; si haemorrhagia vehementior fit, linteum carptum aqua frigida aut aqua vulner. Theden. imbutum in nares in-

ducitur, sicut derivationes ad inferiores corporis partes per sinapismata etc. administrantur.

Haemorrhagiae intestinales, quas saepe jam post horas XXIV mors sequitur; apparent forma diarrhoeae cruentae atque facile microscopio et colore faecum cognoscuntur, semper igitur investigandum est, num corpuscula sanguinis excretionibus insint: quae si conspiciuntur, statim cautelae ad haemorrhagiam opprimendam institui debent, nam neutiquam est semper letalis, dummodo remedia necessaria parata sint. Si igitur vestigia, aut haemorrhagia ipsa adest, glacies, aqua gelida cum additamento aceti abdomini, inprimis regioni coecali, imponitur; interne adhibentur fortiora styptica: Tinct. ferr. muriat. gtt. x—xjj singulis vel alternis horis cum mucilagine aut aqua saccharata sumendae; in haemorrhagia recidiva praeferendum est ferrum sulphuric. in pilulis. Simul in locum potus modo aciduli succedit potus stypticus, ut serum lactis aluminatum.

4. Paralysis vesicae urinariae persaepe obvenit, sive sit completa, sive incompleta ischuria: hoc in casu una quidam pars urinae mittitur et quidem saepe invito aegroto, altera autem retinetur, quae res medicum fallit. Hac retentione et celeri urinae decompositione non raro ipsa vesica eximie extenditur, irritatur, inflammatur, denique gangraenescit. Necesse igitur est, bis quotidie catheter inducatur, donec paralysis pedetentim solvatur.

5. Cutis si est rigida, sicca et ardens, superfusiones frigidae instituendae sunt et tam diu repetendae,

donec siccitas et aestus cutis simul cum cephalaea cesserint. In omnibus autem superfusionibus frigidis respirationis organorum status respiciendus est, ne refrigeratione cutis thoracicae affectio eorum augeatur: si affectio ejusmodi adest simulque superfusio necessaria, cutis thoracis et dorsi accurate linteo cerato antea obtegenda est. Alius status est is, quo cutis quamvis non turgens, mollis, marcida est, viscido foetido sudore obtecta, interdum miliaria alba, ecchymoses et vibices praebet adeoque sudor aegrotorum cruorem continet: qui tollitur optime lotionibus ex acidis dilutis et adstringentium solutione cum vino rubro, quae tertio vel quarto quoque die iterantur.

6. Stadium criticum accuratam et diligentem attentionem, neque minus singularem curandi rationem petit. Cum Crises certis diebus appareant, a die decimo septimo usque ad vicesimum primum necesse est cutis ad secernendum praeparetur. Si cutis est rigida, sicca, sordida: balneum saponatum eximia praestat. Crisis ipsa non solum calidis lotionibus, balneis, superfusionibus, sed etiam medicamentis sublevanda est: potu tepido cum Inf. flor. Verbasci, rad. Valerian.; in graviori casu salibus Ammoniaci, ad expectorationem adjuvandam Liquor. Ammon. anisat; vespere dosi pulv. Doweri, cum ad transpirationem augendam tum ad cerebrum sedandnm. Inter Diaphoretica summum locum tenet Camphora; praecipue ubi bronchotyphus et pneumotyphus adsunt, nullo alio remedio illa compensari potest: hoc in casu cura, quam vocant, camphorata

instituenda est, id est: Camphora dosi parva danda, eo modo, ut intra horas XXIV gr. vj—vjjj cum Mucilagine Gumm. mim. et Inf. aromatico sumantur.

D. Indicatio febrilis.

Erethica febris natura singulorum curam non poscit, synochali autem seu torpido charactere cura typhi valde mutatur. In typhosa dyscrasia, sthenica febri stipata, non statim ferri praeparata et fortiora acida adhiberi possunt, sed tantum acida vegetabilia; febre autem asthenica jam ab initio ferri, chinae et acidi sulphurici usus permittitur.

Tum etiam ad constituendam diaetam febris multum pertinet: in erethica et sthenica febre diaeta magis antiphlogistica, praecipue quod potum attinet; in febri torpida diaeta magis irritans et adstringens instituenda est: Decoct. chinae cum vino rubro Gallico mixtum.

Crisin peractam sequitur:

III. Indicatio exituum.

Ad duas potissimum res animus attendendus est: ad urinae et excretionum alvi conditionem. Quamdiu urina nondum pallida, pigmenti fere expers est, non tuti sumus a nova morbi tempestate.

Regio coecalis dolet, qui dolor pressione digiti et faecum accumulatione augetur, et vespertina reactio febrilis atque impeditae intestini functiones ulcera typhosa nondum cicatrisata esse docent, et ne typho laborans plane sanus habeatur vetant.

1. Exitus in sanitatem: ante omnia jactura substantiae compensanda est apta nutritione, qua in

re tamen cavendum est, ne indigestione febris gastrica, quae tum semper fere nervoso charactere imbuitur, excitetur; itaque primum alimenta fluida parva quantitate neque unquam ad perfectam satietatem porrigenda sunt.

Tum libido coeundi maximopere excitata accuratissime observanda et coercenda est, cum paucas horas coitu peracto aegroti signis apoplexiae nervosae tentati interire soleant.

Plerumque alvus obstructa est: cum excrementa accumulata irritatione tunicae mucosa vix aut nondum cicatrisatae facillime ad intestium perforandum occasionem afferant, alvus post horas XXIV, summum post XLVIII arte purganda est, non autem remediis per os, sed per anum ingestis.

2. Perforatio nonnunquam demum octogesimo die post ortum morbi observata est: quae ut prohibeatur, omnia adhibenda sunt: in obstructione alvi igitur enemata frigida et interne salia metallica: plumb. acetic. ferr. muriat.; deinde omnes manipulationes et palpationes abdominis, inprimis regionis coecalis, ubi plurimae perforationes inveniuntur, vitandae sunt. Perforatione autem facta, modo apertura lympha plastica conglutinata et alicui loco adfixa salutem pollicetur. Necesse est, aegrotus immobilis per horas XII usque ad XXIV jaceat, quam minimis fruatur ne fluidis quidem alimentis; sitis elutione oris per potum acidum exstinguenda est; praeterea curandum est; ut excretiones alvi retineantur simulque vehementes dolores leniantur, quod optime fit

opii majori dosi: Tinct. opii simpl. et op. pur.; denique fomentationes frigidae abdomini et praesertim regioni coecali imponendae sunt: tali modo nonnunquam sanatio prospere succedit, plerumque tamen mors celeriter sequitur.

Transitoriae animi perturbationes: contra memoriae infirmitatem, surditatem imperfectam tempus est optimum remedium, cum post paucas hebdomades functiones in integrum restituantur. Ubi autem dementia relicta est, vel surditas perfecta, a medicamentis nihil exspectandum est.

4. Contra Otorrhoeam, exitum Otitidis, primum cura antiphlogistica instituenda est, postea secretio solutione Zinc. sulph., a quo transimus ad Argent. nitric., opprimenda.

5. Aliud residuum est Maramus typhosus; si ad altum gradum pervenit, morbus insanabilis est propter deformitates, quae ei subsunt. Aegroti saepe demum post aliquot annos supremum diem obeunt: tantum igitur de vita per aliquod tempus protrahenda agitur. Cura posita est in iis, quae sequuntur: nutritio non per os solum, sed etiam per cutem et intestinum rectum: lac cum vitello ovi, jusculum carnis, sed sine condimento, pro potu cerevisia magnam malthi copiam continens, sed parvam modo lupuli et alcoholis: aquae minerales, praesertim fontes calidi in Helvetia siti ex quibus praecipue Gastein celebritatem obtinuit, ad balnea inserviunt cum usu recentis lactis Alpini. Aqua Pfeffercausis minori vi praedita est quam Gasteniensis. Praeterea

ad internum usum commendandi sunt fontes martiales: in leviori marasmi gradu, in feminis potissimum conjuncto cum erethismo nervoso, mitiores aquae (ut Schlangenbad ad lavandum et Schwalbach ad bibendum) aptae sunt.

Denique nonnulla de victus ratione mihi dicenda sunt.

Diversa est diaeta in stadiis diversis: initio, ubi irritatio magna et febris natura est sthenica, antiphlogistica diaeta necessaria est: vegetabilia igitur alimenta atque potio frigida, sedativa, quantum aegroto placet: aqua frigida cum acidis vegetabilibus (Citr. Limon., Aurant., Acet., Berber., Syr. Rub. Idaei etc.) In nervoso vero stadio, omnino tum, si usus cort. chin. indicatus est, illa cedit diaetae nutrienti, magnam enim substantiae organicae jacturam, nisi nam alimenta recipiantur, brevi tempore mortem afferre constat: respiratio accelerata et foetida jam significant incipientem destructionem. Tamen cavendum est, ne nimia alimenta ingerantur, cum digestionis apparatus tam debilitatus pauca modo sustinere possit, qua de causa parva ciborum copia pluries porrigenda est: jusculum carnis, lac, oleum cum Gummi conjunctum; pro potu lac aqua dilutum, decoctum oryzae, hordei; tum enemata-nutrientia (quorum effectum saepe mirabimur) e jusculo carnis cum vitello ovi, quotidie his terve applicanda, praecipue si mox emittuntur. Huc pertinet etiam nutritio per cutem: balnea e jusculo carnis parata. Potus acidulus nunc commutandus est cum magis spirituoso: aliis, qui alco-

holis usui adsueti sunt, parca ejus quantitas porrigenda est cum saccharo et Inf. theae, aliis tantum vini et quidem adstringentis, e. gr. vini rubri Gallici, cum saccharo et aqua, ut intra horas XXIV quarta vel tertia pars mensurae consumatur. Semper autem, quod jam supra commemoravimus, digestionis ratio habenda est.

VITA.

Guilelmus Sommerlatte natus sum Vitebergae die XXV mens. Decembr. anni MDCCCXXVI, addictus confessioni evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium, quod Vitebergae primum auspiciis F. Spitzner, postea H. Schmidt florebat, octo per annos frequentavi. Deinde maturitatis testimonio ornatus paschali tempore anni MDCCCXLVI Berolinum me contuli et a Trendelenburg, t. t. rectore magnifico, numero civium academicorum adscriptus per octo semestria his scholis interfui:

Helfferich de philosophiae historia, et de psychologia; Beneke de logice; Schultz de botanice; Mitscherlich sen. de chemia anorganica; Dove de physice; Weiss de mineralogia; Lichtenstein de zoologia; Hecker de encyclopaedia et methodologia medicinae; Schlemm de osteologia, de syndesmologia; Mueller de anatomia, de physiologia, de anatomia pathologica; Mitscherlich jun. de materia medica;

Simon de pathologia et therapia generali, de cutis morbis; Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Juengken de chirurgia; Ebert de morbis infantum; Horn de morbis psychicis; Boehm de acíurgia; Schoeller de arte obstetricia; Nicolai de politia medica.

In arte cadavera rite dissecandi Mueller et Schlemm duces mihi fuerunt, in operationibus acíurgicis Boehm, in percussionis et auscultationis exercitatione Ebert, in arte fasciarum applicandarum Troschel.

Praeterea clinicis interfui medicis: Wolff, Schoenlein; chirurgicis et ophthalmiatricis: Angelstein, Langenbeck; chirurgico-medicis: Troschel; obstetriciis Busch.

Quibus viris omnibus gratias quam maximas ago.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, absolutis, nec non examine rigoroso rite superato spero fore, ut dissertatione et thesibus publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Generationem aequivocam nego.
2. Scrophulosis et Tuberculosis eadem.
3. Certum mortis signum non exstat praeter putredinem.